



[Faint, illegible handwriting on a blank page]



נצירב מלה

9

feu

STATUASALIS.

De

quâ

ex Gen. XIX, 26.

PRÆSIDE

VIRO

Præclarissimo

DN.M.HEINRICO Baumann/

Fac. Phil. Adj. meritissimo, Præce-

ptore ac Fautore suo summopere

colendo,

publicè disputare constituit

CHRISTIANUS Brockmayer /

Torgâ Misnicus.

In Auditorio Majori

horis matutinis

d. 28 April.

A. O. R. M. DC. LXVI.

Witteberga, Typis Johannis Haken.

*Quodam Rev. In-
pio Sen. C. de
Torg. Praeceptoris
laetitia, meritissimo*





*Amplissimis, Consultissimis, Excellentiss. Experientiss.
Prudentiâ insigni, Eruditione eximiâ, autoritate ma-
ximâ Eminentibus, Patrie Patribus Conscriptis*

**DNN. COSS. PRÆ-
TOR. CAMERAR.** reliquisq; Or-
dinis Senatorii, inclytæ Torgavien-
sis Reip. Viris Gravissimis,

**Dominis, Mecænatibus ac Promo-
toribus suis summô colendis opere,
ac suspiciendis**

*Dissertationem hanc Philologicam in devoti &
grati animi contestationem, suorumq; stu-
diorum commendationem humilissimam
devotè*

offert & inscribit

Christianus Brockmayer.



I. N. J.

§. 1.

Horrendum & omnium seculorum memoriâ dignum est illud documentorum iræ divinæ, cœlitus revelatæ super impietatem hominum, non ultimum, excidium Sodomæ & vicinarum, quod suô sibi accersêre jumentô homines, nefandis immerfi sceleribus, ipsamq; naturam oppugnantes, Deo & omnibus bonis exosi. In alia omnia ab ipsis Lothi ejusq; uxoris & filiarum abibat pietas, quam supremus scelerum Sodomitarum Vindex, & istius pietatis Remunerator mirabili ipsorum liberatione remunerari voluit, & mundo commendare. Sed se ipsam tanto Dei beneficio indignam reddidit Lothi uxor, quæ, posthabitô divino mandatô, oculos suos miraculosæ istius everfionis contemplatione fottè malebat pascere, quàm tantillâ vesani desiderii coërcitione suæ consulere vitæ. Hæc n. miraculi istius contemplatrix è vestigio obriguit, & in statuam salis conversa inauditam inobedientiæ suæ pœnam dedit. Hujus singularis pœnæ, vel castigationis, generis memores nos esse jubet Christus Luc. XVII. 62. quia salem prudentiæ mundo suppeditat, ut Patres de hac salis statuâ loqvuntur. Nos memoriam historiæ hujus recolentes ea delibabimus, quæ non nullam historiæ huic & textui lucem conciliare poterunt. Hos autem huic dissertationi præfigimus cancellos, ut quantum licet, & curta permittit librorum supellex, expendamus miraculosæ hujus metamorphoseos (1) causam efficientem (2) causam meritoriam (3) materiam (4) Formam (5) Figuram externam (6) Tempus (7) Locum (8) Durationem (9) Finem & (10) quædam adjiciamus cognata.

§. 2. Causa efficiens principalis hujus conversionis procul dubio DEUS est, qui urbes istas sulphureô imbre obruit

cœlitus & evertit; qui Lothum ejusque comites respicere ver-
 sus Sodomam prohibuit. Et cum opus ad extra sit illa meta-
 morphosis, commune est omnibus tribus personis. Quod facit,
 quod Dominus à Domino pluisse dicatur v. 24. quam phrasin
 hinc personarum pluralitatem & numericam actionis identita-
 tem inferre alibi probant Theologi. An verò Deus causæ cu-
 jusdam secundæ vel mediæ ministeriò usus sit non æque pater.
 Rivetus fol. 279. in h. l. *non improbabile censet Deum id effecisse*
vi sulphuris & ignis (cui salem admixtum fuisse putat) quo mi-
sera illa femina, quasi fulmine tacta, obriguerit. Sed si in statu-
 am salis propriè conversa est, quod Rivetus asserit, medium
 conversionis nec ignis, nec sulphur, nec Sal extrinsecus adve-
 niens & adhaerens, dici potest: aliàs eodè jure statua sulphuris di-
 ci posset; & omnia flammis istis consumpta (si in horum numerum
 Lothi uxor referenda est) in salem ad minimum conversa es-
 sent. Sed cum modus conversionis nos lateat, & in textu nul-
 lum instrumenti vel mediæ cujusdam, à Deo adhibiti, vestigi-
 um appareat, relinquimus hujus farinae conjecturas suis Auto-
 ribus, & miraculosam Dei miramur actionem. An verò ira-
 ti Dei fulmen hoc subitanæ mortis genus dici possit, defini-
 ant Theologi.

§. 3 Causa meritoria fuit omnium consensu ipsius inobe-
 dientia seu transgressio mandati Dei, quod Lotho & in per-
 sonâ ejus, uxori & filiabus ipsius [aliàs impune retrò respe-
 xisset uxor ejus] interprete Angelo, de nō retrò respiciendo de-
 derat; cujus rationes exponere solent Interpretes in hunc lo-
 cum. Videatur Gerh. Rivetus, Pererius. Quam primùm ergo
 mandatum divinum violavit, hanc incurrit pœnam, vel casti-
 gationem. Notatio n. culpæ pœnæ hinc proximè præmittitur.
Et respiciens uxor ejus versa est in statuam salis: quia scil. respe-
 xit, de post illum, ut nonnulli compositæ vocis מִן־לְוִיָּהּ em-
 phasim exprimere volunt; restringentes relativum ad Lothum,
 non ad uxorem ejus, ad quam referunt illud, qui cum vulgatâ
 vertunt, post se respexit. Affixum n. masculinum est, quod
 meritò urgent, & optimè hinc, citra torturam textus & rei ge-
 stæ,

&æ, Lothus respicitur. *Respexit de post ipsum*, inquit Merce-
 rus in h. l. à tergo Loti versus Sodomã, relicta à tergo, cum eum
 ponè sequeretur: *Ipfus a. habetur, præcipua ratio, propter quem u-*
xor ejus, & filia servata fuiffent, & qui dux itineris illis præibat.
 ita & Fagius in Chald. paraphr. Rivetus utrumque conjun-
 git. *Respexit, inquit, post maritum i. e. ad ea, quæ erant post*
maritum, aut cum illa effet post maritum, respexit post se So-
domam versus. Benè ! si rem ipsam spectes, non præcisè
 vim affixi. Gualtperius in h. l. *nihil interpretes periclitari exi-*
stimat (quocunque modo vertant) quia vox ambigua fit nec ad
eò magni momenti res. Propter ambiguitatem vocis a. non ama-
 mus *ἐποχὴν*. Tremellii arbitratu Lothum mulieres secutum
 ut illas urgeret, nullâ motus ratione. Illud a. mandatum Dei
 propriè accipiendum fuisse, itaque à Lotho & domesticis acce-
 ptum esse, ex eventu probat B. Gerh. in h. l. negans proverbial-
 lem hanc locutionem esse; ut Luc. IX. v. 62. usurpatur. Rivetus
 v. f. 372. hîc propriè vocum significationi figuratam subordi-
 nat; quòd *in sacris literis retrò respicere indicet, cum ipso corporis*
motu, pœnitentiam animi & desiderium redeundi ad id, à quò quis
recesserit. & provocat ad Luc. IX. v. 62. Pl. XLIV. v. 19. Sed in
 il is locis sensus literalis figuratus est. Hic verò proprius vel
 unicè spectandus; vel tamen immediatè; ut prohibitio carna-
 lis pœnitentiæ & desiderii saltim connotetur. Placet nobis
 Flacii observatio, quæ fol. 1064. Clavis existat; *hoc mandato &*
factò (Gen. XIX. v. 17. 26.) adumbratum videtur esse illud, quod
Christus Luc. IX. v. 62. dicit, eos, qui manu ad aratrum admotâ
retrò respiciunt, non esse idoneos ad regnum Cælorum. Sed displi-
 cet Riveti hypothesis l. c. *Hujus loci sensus moralis in literali &*
historico ita includitur, ut à DEO præcipuè intentum fuisse, non sit,
quod dubitemus. Solliciti etiam sunt Interpretes de causa im-
 pellente uxorem Lothi ad istam mandati divini transgressio-
 nem. Alii misericordiam (præposteram) erga patriam, alii le-
 vitatem, curiositatem & petulantiam muliebrem, alii meticu-
 lositatem, strepitu ingruentis tempestatis excitatam, in eâ no-
 tant. Autor Commentarii Ebræo-Germanici in Pentateu-
 chum, qui vulgò vocatur Zennorena fol. 23. ita de hac re nu-
 gatur:

gatur: Das Weib von Loth hat sich erbarmet über ihre Töchter/
 die zween/ die da seyn gewesen bey ihren Männern in der Stadt
 (quatuor enim filias Lothum habuisse opinatur) und hat sich
 umgesehen /ob die Töchter nicht hernach kämen aus der Stadt.
 Potuisset illâ multiplicatione filiarum Lothi supersedere, si af-
 fectum erga generos prætexisset. Alii vel bonorum relicto-
 rum cupiditatis ex Luc. IX. v. 62. vel malitiæ & incredulitatis
 notam ipsi inurunt ex Sap. X. v. 7. *Incredula anima stans sig-
 namentum salis.* Ex hac diversa causæ impulsivæ expositione
 sententiarum de peccati hujus qualitate, an imbecillitatis, an
 verò contra conscientiam & mortale fuerit, enata sunt divor-
 tia, quorum examen à foro nostro alienum est. Et quid hîc eti-
 am certitudinis tibi promittas ab homine, quem de salute pro-
 ximi benè sperare potius, quàm dubitare Christiana jubet
 charitas? Gravitas peccati non parum augetur, si vel omninò
in itinere substitisset, & marito cum filiabus abeunte igneam expe-
pectasset tempestatem, vel oppidulo Zoar vicissim egressa esset,
 [quod planè improbable censent alii] *ut videret eventum rei.*
 Quæ nonnullorum conjecturæ sunt. Vid. B. Rungius, Mer-
 cerus, Pererius in h. l. Mercerus hac ratiuncula priori conje-
 cturæ nonnihil roboris conciliare vult: *alioqui, inquit, si pro-*
pè maritum fuisset, mirum, nî & ille eadè plagâ correptus fuisset. Pere-
 rius magis exaggerat illud peccatum: *punita est, ait, mulier pro-*
pter incredulitatem, ex quâ nata est inobedientia; non enim credi-
dit quicquam referre ad incolomitatem & salutem ipsorum, si re-
spicerent, nec ne. Adjicit: *non simplicem nudumq; fuisse respec-*
tum; sed acerbò cum animi sensu & dolore conjunctum, quò uteba-
tur illa propter cognatos & amicos pereuntes, amissaq; bona omnia,
& propter excidium natalis soli. Ex quo fiebat, ut illa Dei vindi-
 ctâ videretur ei præter modum & supra delicti meritum atrox; Ide-
 oq; non solum ei non probaretur, sed etiam valde displiceret. Mol-
 liora habet B. Lutherus; ejusque pietatem inde colligit, tum
 quia virum secuta in hoc casu, tum quia ab Angelis erepta & e-
 ducta est. Cui censuræ alii ex Nostratibus suum addunt cal-
 culum.

§. 4. Conversionis Materia fuit Lothi uxor, ejus nominis scrutinium Rabbini committimus, inter quos R. Jacob Baal Turim ex voce **אשתו** per Gamatriam colligit vocatam esse **עירית** Erit vel Arit (Aretiam) quem, suppresso licet nomine, refutat Mercerus. Zennorena verò l. c. eam appellat **עירית** Irot: **עירית** Adit dicitur in Pircke Eliefer cap. 25. Per nos licet, voces etiam Titean [quod nomen alii adducunt] & conjunctim vel divisim ipsi ista tribuas nomina. Corpus conversum esse; non animam, oppidò liquet. Quamvis n Deus aliàs ex quolibet possit facere quodlibet, quod non implicat contradictionem, adeoque substantiæ incorporeæ transmutatio omninò inter illa, quæ rationem factibilitatis habent, ut loquuntur, referri debeat; plusquam Rabbinica tamen foret **ἀδολεξία**, si hîc exemplum possibilis istius mutationis querere, & immortalitatem animæ uxoris Lothi negare velles. Cornelio tamen à Lapide geminam dubitandi ansam præbet (1) quia *absolutè miro & inaudito modo uxor dicitur conversa in statuam.* Uxor a. constat tum, imò magis, anima quàm corpore (2) quia Sap. X. v 7. *incredula anima punita dicitur.* quas leviculas rationes ipse discussit, ne suo deesset officio. Animam verò salvatam esse censent omnes, qui imbecillitatis peccatum fuisse autumant. Alii malunt eandem judicio DEI relinquere cum B. Gesnero. Rationes eam damnantium refutat Dn. D. Chemnitius in Colleg. super Gen. in c. 19. qu. 2.

§. 5. Conversionis forma s. modus non quidem scrupulosè scrutandus est, cum hîc etiam erudita inscitia sit, nescite velle, quæ magister optimus docere non voluit; Sed certum tamen est, hanc metamorphosin (1) verè contigisse. quam veritatem, ex verbo Dei haustam, soli gentiles, qui suam Nioben cum uxore Lothi confundere dicuntur, labefactare audent; notati eo nomine à nonnullis. vid. B. Rungius in h. l. & Joh. Weizius in Notis ad Prudentium p. 674. qui Autores pro prædicta confusione laudat [2] fuisse propriè dictam & substantialem. id quod probamus ex propriâ & nativâ vocabulorum, quibus Spiritus S. hîc utitur, significatione, à quâ nulla hîc nos jubet recedere necessitas. **וְהָיָה נָצִיב מַלְחָה** Et facta est
Statua

statua salis. Vocem נציב idem significare, quod מצבור
h. e. statuam (quam etiam vox קמא à Targum adhibita &
vox סילח, quæ ap. LXX. & in lib. Sap. c. X. v. 7. occurrit, si-
gnant) observat Aben Ezra in h. l., cui omnes, quotquot lite-
ræ insunt, subscribunt; nisi quod nonnulli acervum s. cumu-
lum cum R. Kimchi malint substituere, quem tamen, si figura-
tum, nec prorsus informem dicerent, Bonfreriò iudice, ab illis
non discrepent. Non negamus alàs vocem hanc in locis
Biblicis notare stationem & militem stationarium (præsidium.)
Sed illa significatio non quadrat ad hunc contextum; etsi ana-
logica quædam accommodatio admitti possit: meritò ergo
synonymum dicitur vocis מצבור vel מצבר. quæ vox
Gen. XXXV. v. 14. de statua Racheli à Jacobo erecta, & de
statuis idolis dedicatis II. Reg. X. vers. 27. cap. XVII. vers. 10.
& alibi passim usurpatur. Nec pugnaret hæc vocis נציב
acceptio cum significatione radicis נצב; si hæc hodie
apud Ebræos in usu esset. Colligitur illud (1) ex col-
latione significationis, quam נצב obtinet in linguâ Chal-
dæa, Arabica & Samaritana. In illâ n. notat plantavit; in istâ
inter alia significata fixit, extulit; in hac sedit. Quas v. vo-
cum significationes illæ linguæ à matre Ebræa acceperunt, vel
subordinantur matris loquendi consuetudini, vel cum eadem
paria faciunt; quamvis inusitata sit. (2) ex cognatione ejus
cum vocabulo, quod hic urgent, נציב stetit erectus, constitit;
quod de statua commodissimè dicitur. Vox מלח propriè
salem significat Conf. Gen. c. XIV. v. 3. Judic. IX. v. 45. à מלח
sale condivit. Et quia sale conspergebant olim loca vastata
Judic. IX. v. 45. de corruptione & vastatione quandoque adhi-
betur, ut Es. LI. v. 6. quæ significatio nonnullis videtur im-
posuisse, ut verterint: *Conversa est in statuam demolitionis, con-*
fusionis; sed cum hæc significatio impropria sit, (posito signò
pro signatò, vel consequente pro antecedente) propriam hic
meritò retinemus. Nec in aliâ significatione nomen מלח in
sacris literis sumitur. Qualis salis species fuerit, vix cer-
tò definiri potest. Fuisse durabilem salem, quem nullæ
plu-

pluvia, nullæ tempestates liquefacere aut disturbare potuerint, afferuisse sufficit. Vid. omnino Bonfrerius; qui Autores pro sale isto durabili & metallico, quem vocant, laudat. His præsuppositis, ruminamus thesin nostram, cui pleriq; Interpretes favent nobiscū asserētes: uxore Lothi proprie & substantialiter in statuā salis cōversam esse. quicquid sit de cōversionis modo. (de quō vid. Augustinus Tom. 3. f. 509. lib. 1. de mirabil. Sacræ Scripturæ Cap. II. miraculosā salis in corpore coagulationē hīc urgēs.) Nec n. כִּי מִלִּיטוּדִין הַיָּם נִצְיָב additū est; nec aliud quicquā nos claram cogit deserere literam. Accedunt his testimonia, Autoris libri Sap. c. X. v. 7. & ἀὐτῶν πτωγ. ut nullius autoritas tenacem sensus literalis proprii excœcare possit.

§ 6. Qui pro impropria conversione militant, non ex eodem capite proprietatem literæ evertunt. Quidam censent, mulierem periisse igneō illo imbri cœlitūs missō, qui admixtum habuerit sulphur & sal, cujus sententię Aben Esra autor est, qui ita scribit in h. l. כִּי נִשְׂרְבוּ עֲצָמָיו כִּי נִשְׂרְבוּ עֲצָמָיו. Nam exusta sunt ossa ejus sulphure & sale. Quam interpretationem suam firmat testimonio Moſis (quod etiam Grotius respicit) ex Deut. XXIX. v. 23. ubi Sal & sulphur junguntur tanquam arma iræ divinæ, quibus non aliter, ac Sodomam & Gomorrhā evertere Deus comminatur impiorum sedes. Addit Rivetus (qui tamen aliās nobiscum facit) ad l. c. *Certè vel admixtum fuisse salem, vel ex combustionē terram salsuginosam fuisse redditam vix negari potest, ut ad eam etiam referatur, quod dicit Psaltes Ps. CVII. v. 37. redegit terram fructuosam in salsuginem.* Mercerus in h. l. paulō plenius hanc sententiam explicat: *Comprehensa est sulphure & igne cœlitūs depluente, quō aēr erat refertus, ut ita cœlitūs percussa nihil mirum si obriguerit in statuā salis, ejus ossium compage abeunte, qui cum sulphure, ut dixi, conjunctus erat, & ad sulphuris naturam accedit, non quōd forsan totum ejus corpus in sal abierit, sed quōd salis speciem extrinsecus habuerit, ita obrigens vi tempestatis. Nec debet hoc alienum p̄ ofanis hominibus videri. An non videmus ita eorum qui fulmine tacti sunt, corpora obrigescere? B.*

B

Luthe-

Lutherus in h. l. statuam salis dici posse autumat, non quòd
revera sal fuerit, sed quod similitudinem salis habuerit. B. Run-
 gio *verisimile etiam videtur, fuisse statuam lapideam, quæ salis*
speciem referret. Alii de statuâ admiratione dignâ intelligunt,
 referente Johanne Sauberto c. 24. de Sacrificiis pag. 632. fortè
 quia Sal splendidum fuit, ut nonnulli existimant. Alios pa-
 tronos istius sententiæ, qui directè eandem exosculentur, *vix*
 nominabit. Alii durabilitatem salis respiciunt & statuam sa-
 lis interpretantur monumentum quoddam ejus rei incorrupti-
 bile & perpetuò mansurum, quæ Bodini l. 5. de Rep. c. ult. &
 Vatabli seu Tugirinorum opinio est, uti vox illa sumitur Num.
 XVIII. 19. de pacto salis i. e. inviolabili & sempiterno. ut & II.
 Paral. c. XIII. 5. Sed quantum ad primam sententiam; ficul-
 neò illa nititur fundamentò. Si n. vel maximè illam salis cum
 sulphure mixturam concederemus, evidenter tamen probare
 non potuerunt, uxorem Lothi in istâ sulphureâ tempestate pe-
 riisse. Et si etiam hac ratione, fulmine fortè tacta, exanimata
 esset, quomodo negari poterit substantialis ejusdem in salem
 conversio? Sin cum hæc ista conjungatur sententia, nobis ea-
 dem, uti à Riveto explicatur, non erit adeò adversa; dummo-
 do ista conversio non comparetur illi terræ in saluginem
 transmutationi metaphoricæ, quatenus nuda ejus notatur ste-
 rilitas; de quâ Psalmus à Riveto citatus loquitur. Alia hæc
 facientia supra §. 3. notata sunt. Secundæ sententiæ Patroni,
 B. Lutherus & Rungius dubitativè loquuntur, nec simpliciter
 substantialem conversionem negant. Tertia sententia tantum
 abest ut mereatur admirationem, ut admiratione potius digna
 sit illa à clara textûs literâ divaricatio. Quarta sententia pla-
 nè principium petit, quia citra urgentem necessitatem impro-
 priam vocis מלח acceptionem propriæ præfert. Diversæ res
 sunt pactum & hæc statua, ut de hac non æq; improprie, ac de
 illo Sal prædicetur. Actio fæderatis sale sanciri potest, non
 converti in salem, ut corpus, de quò noster textus loquitur.
 Corruptionem textus R. Levi, qui hanc conversionem non de
 uxore Lothi, sed de totâ eâ terrâ exponit, quòd in salis statu-
 am præ vi sulphuris & ignis è coelo decidentis conversa fuerit,
 recensuisse est refutasse.

§. 7. Non

§ 7. Non perdemus operam, si de figura externâ statuarum falis non nihil annectamus. Qui terminum ad quem conversionis hujus indigestam molem esse volunt, figuram ejus nullam forte agnoscunt; adeoque in defectu peccare videntur. Sed in excessu peccant, qui ex carmine Tertulliani, quod cum aliis de hoc argumento versiculis exhibet Fabricius in opere Christ. Poët. fabulam de menstruis hujus statuarum arripiunt. Monet hic Rivetus: à viris antiquitate Reverendis parùm verecundè id prolatum esse. Viriboni, subjicit, faciles præbebant fabulis aures, ubi probabilis allegoriæ suppeteret occasio. Cornel. à Lapid. muliebri effigie fuisse dicit; quia statua uxoris Lothi fuit, cujus formam ipsa statua retinuit. Si ἀπορίας accederet fides, quâ multi desiderant, hanc etiam illi rationi præponeremus.

§ 8. Tempus, quod hæc res gesta est, aliud generale, aliud speciale dici potest. Generale vocamus annum mundi, quod conversio illa facta est, qui cum aliis epochis, tum temporis præciquè receptis, facili negotio connecti potest. Ut illud verò paulò accuratiùs designemus, annum nativitatis Abrahami præsupponimus, esse annum Per. Jul. (cujus usus facillimum tempora computandi & connectendi ratione Chronologis suppeditat) 2712. Id quod m. Plur. Rev. & Excell. Dn. D. Strauchius in suo compendio Chronologiæ demonstrat. Jam cum certum sit 99. ætatis Abrahamæ anno istam Sodomæ everSIONEM contigisse (quod ex collatione cap. XVIII. Gen. cum XX. ad oculos patet; quia anno 100. æt. Abrahami dicitur esse natus Isaacus, qui anno præcedente 99. promissus ipsi erat à Filio Dei, instans excidium Sodomæ cap. XVIII. Abrahamo juxta annunciante) connectatur ille cum anno mundi, prædicto anno Per. Jul. respondente, qui est 1948. tertius mensis. Nam 763. annis & 9. mens. (quo intervallo, per $\omega\epsilon\lambda\eta\psi\omega$ quandam Mathematicam, primus annus Per. Jul. à primo anno M. distat) à 2712. subtractis, totidem relinquuntur. Annis verò 99. illis 1948. & 3. mens. additis, emergit summa 2047. ann. completorum & 3. mensium. Ad quem annum etiam completum, vel currentem 48 Chronologi communiter illam Sodomæ ruinam referunt. Torniellus tamen f. 194. Annal. illam cum anno mundi



mundi 2138. connectit; ut alios hic à nobis discrepantes taceamus. Sed illius calculus nostros circulos nihil turbat. *Speciale* tempus liceat cum Pererio vocare illud, de quo Interpretes inter se digladiantur; an nempe conversio illa ante evenerit, quam intraverit uxor Lothi urbem Segor; an verò interea, dum inibi fuit; an potius, cum egressa inde pergeret ad montem. Horum quidem nullum ^{præter} in textu S. asseritur; sed præ reliquis probabilis est prima sententia, quam cum Cajetano Pererius tuetur. Et probare eandem possumus (I) ex serie narrationis. Ingressus Lothi in urbem Segor ponitur ante delapsū pluviae sulphureæ v. 23. Transformatio autem uxoris Lothi in statuam salis post eundem, & subversionem istius regionis commemoratur. Transformatio ergo illa post ingressum Lothi in istam urbem facta est. Si dicas dispositionem & seriem narrationis non semper congruere cum ordine temporis & rerum gestarum: Respond. (1) Convenientiam tamen illam hic tamdiu retineri, donec monstretur ex textu vel aliunde aliqua inconvenientia (2) Lothum ante istius tempestatis ortum intrasse urbem Segor certo certius est. *Non enim poterat Dominus facere quicquam, donec illuc ingrederetur* v. 22. Uxorem a. unā cum Lotho & filiabus eandem subisse, unde probabitur? Potius sententia illa confirmatur. (II) Ex remotione reliquarum opinionum. Altera vix inveniet basiatorem. Quis n. in ipsa urbe Segor, asylō divinitus concessō, eam punitam dicat? & quodnam asserti istius in textu præsidium? forte quia timuit Loth manere in Segor? levis conjectura est, quæ varia secum trahit incommoda. Tertia verò repugnat textui: Ascendit n. Loth de Segor cum duabus filiabus tantum, quæ cum illo manserunt in speluncā v. 30. (III.) Ex voce מַחֲרִיב, post illum, præeuntem scil. virum suum, & jam urbe Segor receptum (quod prima ratio evicit) conversa est in statuam salis (IV.) Ex relatione Borchardi in descriptione terræ sanctæ part. 1. c. VII. n. 24. qui inter oppidum Segor sub monte Engaddi & mare mortuum statuam salis collocat. quod etiam alii sanctæ terræ descriptores confirmant.

S. 9. Atq; ex hac specialis temporis definitione patet locus
 spe-



specialis, in quò uxor Lothi substitit, & ; ut Pererio videtur, morosè curioseque respectavit, ac in statu am salis conversa est. Est ille confinium Segor, seu spatium inter Segor & Sodomam, quæ ibi antea fuit, ubi hodie mare mortuum est, interceptum. Loci generalis, seu regionis istius situm Geographorum more delineare prohibet nostri instituti ratio.

§.10. Durabilem fuisse statuam salis vix quisquam in dubium vocabit; præsertim si in salem metallicum, qui pluviae resistere, ædificiis soliditate sua utilis esse dicitur à Plin. lib. 37. c. VII. conversa est. Sed B. Lutherus tamen eam *non diu steterisse* putat, quod *undà cum civitate Segor* (post discessum Lothi ex eadem) *concussa & fulmine contrita sit.* Et multi Europæi hoc tempore statuam *quesiverunt, nec reperiunt.* Scribit Angelus Monachus, cui Nicolaus Princeps Radzivil in itineralio sub. scribit. Sed Josephus tamen lib. 1. Antiquit. Judaic. cap. XII. testatur suo tempore adhuc eandem extitisse. Et Borchardi testimonium auctoritate aliorum, Adrichomii, Salignacii, in theat. terræ S. Bredenbachii, Antonii Martyris, Anselmi Monachi, & Epiphani Monachi, in itinerariis, quorum non nulli eandem viderunt suis temporibus, stipatum album meretur calculum. Documenta iudicii sui Deus conservare solet. Et Asphaltites hodiernum Sodomæ combustionem loquitur. Conciliationi Autorum existentiam statuæ salis affirmantium & negantium interservire possunt hæc Anselmi Monachi verba. *Sæpe ut dicunt, mare crescit tantum ex tumefactione, quod operitur tota statua, & non videtur; aliquando tamen decrescit, quod videtur ad pedes & genua.* An verò usq; ad resurrectionem mortuorum, quod Targum Hierosolymitanum asserit, durare debeat; an tam altas radices egerit, ut evelli non possit; an semper renascatur, si quid pecora delambant, vel homines defringant, asserant, qui Rabbiorum & Poëtarum fidem majoris æstimant.

§.11. In finem conversionis istius, cur in statuam salis & nō aliam materiam conversa sit uxor Lothi, inquirunt Interpretes, Pontificii præcipuè, ex quibus Bonfrerius & Pererius multi sunt in recensendis Patrum, Philonis & aliorum allegoriis; quas, brevitatis studio, silentiō præterimus. Raschi proporti-

onem inter culpam & poenam hinc spectat : כמלח חטארו
 ובמלח לקחת אמר לה הני מלח לאוריות הללנ
 אמרה לו אף המנהב הרע הזה אתה בא להנחוב
 במקום הזה : *Sale peccarat, & sale vapulavit* (punita
 est) nam dixerat ipsi, [Lothus] *Da modicum Salis viatoribus istis*
 [sive quibusvis, sive in specie Angelis,] *respondit ipsi : etiam*
bunc [inter alios] *peffimum morem introduces* [venis ad adsvefa-
 ciendum] *hoc loco.* Pererius hoc de Sale ab isto dictum in-
 probabiliorem trahit sententiam &, duce Plinio, *interpretatur*
salem metaphoricè affabilitatem, hilaritatem, jucunditatem morum
& sermonis in hospitalitate & sodalitate; quam quia uxor Lothi
 hospitibus non approbarat, eam salem non dedisse hospitibus
 dixerint *Rabbini.* fortè quia, quod Targum Hierosolymita-
 num tradit, è *filis filiorum* [hominum nullius frontis & durissi-
 mæ cervicis] *populi Sodom,* ut loquitur, *fuit.* Sed pellucet
 Rabbinici commenti vanitas, sive corticem, sive nucleum [si
 quem habet] *fabulæ istius spectes.* Nobis sufficit illud Glossæ
 ordinariæ glossema (quod non immeritò multarum allegoria-
 rum scaturiginem dixeris) **AD CONDIMENTUM FIDELI-**
UM [conversa est in statuam salis;] quò ipsò. Christus Luc.
 IX. 62. fideles condit: *Memores estote uxoris Lotbi, tanquam*
propterea [verba sunt Pererii fol. 612.] *id potissimum esset factum,*
ut quasi perpetuum quoddam posteris foret monumentum, ne qui se-
rio, judicatoq; elegerunt viam Domini, atq; eum ingressi sunt, re-
trò unquam adspicere ac redire concupiscant, sed si salvi esse velint,
perpetuò ulterius procedentes, ad extremum usq; pertendant. Facit
 huc fundamentum metaphora [quam sectantur, qui verba te-
 xtus improprie accipiunt] à B. Rungio observatum: facta est
 statua salis, *vel quia perpetua, vel quia habebat aliquid notabile,*
quod viatores admoneret, seu ipsorum condiret corda.

§. 12. Cognata hujus conversionis varia cumulari possent.
 Talia Mercero sunt corpora fulmine tactorum, quæ obrigue-
 runt. Exempla hominum in lapidis conversorum Historici &
 physici passim annotarunt. B. Sperlingius in tract. de format.
 hominis in utero cap. IX. quæst. 5. infantem in utero ma-
 tris

tris in lapidem induratum adducit. Athanasius Kircherus in mundo subterraneo Tom. II. lib. VIII. sect. 2. c. 2. dicit: nihil est ferè sive plantarum sive fructuum; piscium, conchiliarum aut animantium, quod non in saxum conversum in diversis Aausis observamus, dactylos, nutes, pruna, olivas, poma, pyra, fungos, fruges omnis generis, imò caseum & panem. Sed de his exemplis Physico iudicium ferre licet; non æquè de nostra statua salis. Plura hac vice non colligimus. Coronidis loco subnectimus illud de statua salis ænigma:

Cadaver, nec habet suum sepulchrum,
Sepulchrum, nec habet suum Cadaver,
Sepulchrum tamen & cadaver intus.



Digna tuo studio quò, BROCKMAIERE, loquaris
De Statua Lothi; comprecor ex animo!
Ardua res; sed vera: Deum mutasse figuram
Humanam, in magnum justitiæ specimen.
Ut discant homines mandato munere fungi;
Et caveant sancti frangere iussa Dei.

Johannes Meisnerus, D.

Inter Torgenses non ultima palma, Lyceo
Applaudente, animis cedit, Amice, tuis.
Gratulor applausum, cepti studiiq; secundum
Decursum. Pergas. Cœlum hominesq; favent!

gratul. f.

M. Henricus Baumann/
Fac. Phil. Adj.

We dein gelehrter Fleiß nach Ruhm und Ehren eile/
Du liebster Musen Sohn/giebt hier der augenschein/
So will auch Pindus selbst ein steter zeüge seyn

Wie

Wie zierlich du geredt von der gesalgnen Seule/
Die erwan war ein Mensch/vnd bald nach kurtzer weile
Ein unbeseeltes Bild/nicht ungleich einem stein
Noch eh' als Sodoma ganz ward geäschert ein/
Daß sie den Sterblichen ein Contrafeit ertheilen
Der Göttlichen Gewalt. Nun/werthester für allen/
Laß dein so löblichs thun noch ferner weit er schallen
Schreib/höre/disputir' vnd zeige dich der welt.
Wer weiß was der noch thut bey diesen deinen Sachen/
Der auß ein Menschenbild kan eine Seule machen
Daß weiß ich/daß er viel von from-gelehrte hält.

Dieses setzete in eil aus Schuldigkeit glück-
wünschend hinzu

Joh. Conradus Zeiger/
SS. Theol. Studios.

Quid non in fractum studium, quid cura, laborq;
præstat? perrumpit vincit & omne labor.
Dum nobis *statuam* per dulcis Amice *salinam*
Exponis, studium comprobat hocce tuum.
gratulabundus hæc apposuit

Johannes Schedius,
Philos. Stud.

Vires quid possint, aut quid perferre recusent
Ingenii, monstras intima pars animi.
Materiam sumis raram tibi, sumis acutam,
De quo conatu gratulor ecce tibi.

*Dno. Contubernali suo per dilecto de egre-
gio eruditionis specimine gratula-
bundus scrib.*

Henricus Christianus Rhebinder,
Lünæb. Philos. Stud.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

נעיה
9
A SALIS,

KIX, 26.

SIDE

risfimo

ICO Baumann/

ritissimo, Præce-
suo summopere

re constituit

S Brockmayer /

ilnicus.

o Majori

utinis

pril.

DC. LXVI.

Johannis Haken.

Admodum Rev. In-
pio Senfild
torq. Diacono
lantiq., mer. tige

